



Red

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii direttore

a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.



EVANGELIVM
 DE
 IESV NATO
 TANQVAM
 AVREAM BVLLAM

IPSO DIE
 ANNIVERSARIAE HVIC
 NATIVITATI
 MDCCKXXXI
 SACRO
 ADMIRANTVR
 ET
 CELEBRANT
 SCHOLAE CATHEDRALIS NVMBVRG.
 ALVNI PRIMO ORDINI
 ADSCRIPTI
 INTERPRETE
 M. Io. GOTTL. BIDERMANNO.

NVMBVRGI,
 LITT. BALTH. BOSSOEGELH, TYPOGR. PRIVILE.





* * *
Non ita quasfa gemunt dubiis carchesia
uentis,
Cum caelo pluuio murmura rauca
fremunt;

Cum presae coeunt trepidante sub aethere nubes,
Occulit et laetum nox uiolenta diem;
Cum fulgur tonitru mixtum metuenda uidetur
In tumidis undis bella ciere sali;
Cum lacerata suos ruperunt uela rudentes,
Lufus turbinibus uela relicta feris;
Cum firmata cadunt diffracti robora mali,
Exanimemque premit dira procella ratem;
Cum rapitur lapsu nunc usque in tartara nauta,
Nunc fluctu alterno sidera summa ferit:
Quam pauet excusfo Germania naue magistro,
Imperii summam qui moderatus erat.
Quot, quaeſo, referunt annales bella cruenta
Caesare priuatam dilacerasse male?
Sanguino quam multo, quoties Palinurus abiuit,
Diriguit, lacrymis commaculata suis?
Omnia iam nondum coierunt vulnera saeua,
Hostis inhumani uulnera facta manu.
Auulfas querimur patriis a finibus urbes;
Lugemus, fortes occubuisse uiros.
Nil poterat grauius metui, statione relicta
Caesaris, imperii dux ubi raptus erat.
Vidit et aduertit sapienter talia Caesar,
Qui Caroli Quarti nomine sceptrata tulit.
Vtque graues lapsus tristesque auerteret orbi
Clades, et patriae damna timenda suae;
Viscera uisceribus contraria et urbibus urbes
Haud animo poterat dissimulante pati.
*Lugubres, inquit, Proceres, exsunt tumultus,
Quum sacer imperii deligit ordo caput.
Corpore si in nostro sunt aduersaria membris
Membra, diu uires corpus habere nequit:*

*Sic non stare potest, quod secum diffidet, omne
Protinus imperium, lite uigente, perit,
Res intestino quassatur publica bello,
Hoc ubi praevalet, regna domusque cadunt,
Sanctio scribatur semper ualitura, perennem
Quae praestet legem, sitque tenore rata.
Hanc, caput imperii lecturi, habeamus amissim,
Muneris haec moneat regula quemque sui.*

Dixerat. Adfurgunt conscripti ex ordine Patres,
Caesaris et placitum uoce manuque probant.
Vnanimes omnes subscribunt. AVREA BVLLA
Haec adpellatur sanctio lexque noua.
Tunc regno sua parta quies; tunc rura, penates,
Templa, foci, vultus exferuere nouos.
Sic uiuens Carolus meruit praeconia famae,
Venturaeque decus posteritatis erit.
Illius historici laudes annalibus addunt,
Quot regni condunt fata, Tuisco, tui.
Adfirmant, melius uix te potuisse mereri,
Si secum dicas multa trophaea demum;
Aut etiam Hesperidum Tiryntius alter ab hortis
In patriam referas aurea mala tuam;
Aut in Phryxaeae procurrens Colchidos oras,
Aurea si sumto uellera iure, petas.
Nominis aeterna uicturus laude, parasti
Immortale tibi perpetuumque decus.
Nec nos hoc anno fas esse tacere, putamus
Commoda, quae nobis Aurea Bulla tulit,
Ex quo Electores conscriptos continet in se
Urbs, à Francorum nomen adepta uado;
Legibus his saluis ut regni insignia tradant
Illi, qui tanti compos honoris erit.
Quod felix faustumque DEVS uelit optimus esse,
Et nostras casus ne finat esse preces.
At fore, quis dubitet? siquidem Pater optimus ille
Omnia pollicitus se dare uelle bona,

Sponforem Christum caelo demisit ab alto,
Per quem caelestis concilietur amor.
Hoc Euangelium dici Aurea Bulla meretur,
Auro quod multo splendidiora capit.
Nam quae conferri nobis uel gratia maior
Gloria uel nobis gratior esse potest?
Aurea parturiens dum uoluit saecula caelum,
Romani Augusto scepra gerente throni;
Gens, quae terrificis umbrarum septa tenebris
Squallet, speratum lumen adesse, uidet.
Et, qui regna colunt infernis aemula sumis,
Exultant animis, hoc oriente die.
Ipse Deus carnem, et nostris os ab ossibus aptat,
Factus homo, terris gaudia summa parat.
Induitur spreto contempto schemate serui,
Et regni dominos nos facit esse sui.
Hic lux in tenebris, hic fons illimis in aestu,
Hoc duce terrigenis caelica regna patent.
Hic nisi summisset mortalis corporis arcus,
Nos Phlegethontaeae poena maneret aquae,
Nec uis Eumenidum saeuique potentia Ditis
Fracta, nec horribilis mors superata foret.
Hoc auctore salus aeterna et uita paratur,
Et mors perpetuo carcere clausa iacet.
Hic nos exhilarat Satanae nil iura timentes,
Postquam sunt nobis caelica iura data.
Si uetus Iliadae celebrauit Roma Quirini
Natalemque Iouis Gnosia terra diem;
Nos Tibi natalem potiori iure sacratum
Hoc celebrare die, Christe benigne, decet.
Nobis angelicis concentibus adnuit aether,
Harmonicis resonant terra polusque modis:
Laus sit in excelsis et gloria summa Parenti,
Gloria sit Nato Spirituique sacro.

*

*

*

78 M 428


Sign. (188) fehlt bzw.
coll. nicht vergeben!



56.

1077

RHD





EVANGELIUM
DE
IESU NATA

ANQVAM

M BVLLAM

IPSO DIE
RSARIAE HVIC

TIVITATI
CCX XXI

SACRO
MIRANTVR

ET
CELEBRANT
HEDRALIS NVMBVRG.


I PRIMO ORDINI

SCRIPTI
INTERPRETE

TL. BIDERMANNO.

VMBVRGI,

SSOEGELH, TYPOGR. PRIVIL



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue